

namque obsidione cinxerit. Veneti ex suo ingenio (qui nihil temere agunt) hostem reputantes, haud quidem tam cito Regem moturum rati, nullum ad eam diem praesidium in provinciam miserant. Ubi vero tumultuose Pannonicis armis allatum est, omnes fere Dalmatiae urbes circumfideri, tumultuosius & ipsi classem, militem, arma, commeatum expediunt: valido urbes firmant praesidio. Rebusque ita firmatis, vulgo credere, virtute & fide eorum qui missi essent, arces, insulas, oppidaque munitiora facile servatum iri: bellum ad id barbaro in dies gravius futurum; quum repente barbarus, ut Venetum pluribus locis occupatum haberet, foedere cum Francisco Carrario occulte inito, in Italiam cum centum armatorum millibus, validisque Austriae Ducis & Aquilejensis Antistitis appendicibus transgressus, in Taurisfinis finibus tumultuose confedit. Collatini Comites, aliique plerique Reguli subito ad barbarum defecere. Cunianum, ubi Zacharias Contarenus Praetor erat, Saciliumque paucis diebus per deditionem accepit: inde Taurisfinum castra admota sunt. Veneti, etsi Dalmatico bello satis occupati erant, ad primam tamen famam Regis in Italiam adventantis, Taurisfinum armis & commeatibus munivere, missis eo Marco Justiniano, Joanne Delphino, & Paulo Lauretano, qui communi inter se consilio bellum administrarent. Interim Rex, vulgata cum Carrario Principe societate, edicit ne quis suorum Patavinos fines pabulandi latrocinandive causa ingrederetur: vel minimam injuriam capitalem inferentibus futuram.

Tam gravi bello implicita Republica, Gradonicus Princeps, quum annum unum & menses duos Reipublicae praefuisset, vita decessit. Ejus funus ad Minorum aedem elatum. Joannes Delphinus absens illi est surrogatus, qui ad Principatum ineundum ex Taurisfinio accersitus, a Rege, qui circa moenia sedebat, fidem, ut tuto inde abiret, impetrare non potuit. Ex eo plane intelligi potest, quam Venetis infensus per id tempus Lodovicus fuisset. Verum ille armatorum cuneo septus, averfa parte urbis per eos ipsos

*Joannes
Delphinus
Gradonico
in Ducatu
succedit.*